

Mat. 18.

tanquam supposititiū, sed recipit ipsum his verbis. *Recipimus, & nos præclarissima summorum virorum testimonia de eius doctrina, & quod quidam Pontifex de illa testatus est, obseruatum esse, nullum unquam eius impugnasse doctrinam, qui non fuerit de veritate suspectus, facile comprobamus.* Et quod caput est, in impressione Romana operū S. Thomæ, autoritate Pij V. correctæ, & factæ, habetur præfatum testimonium initio tomi Indicis. Si autem in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, vt dicitur Matth. 18. quomodo dici potest, præfatum testimonium ore tatorum testium comprobatum, esse supposititiū euidenter? Cumq; non probent suum dictum, nõ infirmat auctoritatem citati testimonij, sed indicant se prohibito loqui, aut sine fundamento Nam si nitantur fortassis, in tali sermone non extante, aduertere debuerant, eū reuera extitisse, sed temporis iniuria perijsse, sicut, & multa alia opera Magnorum Scriptorum.

Breniar.
Or. Præ.

Accedat nunc testimonium Ecclesiæ, quæ in Breuiario Ordinis Prædicatorum à Clemente VIII. approbato, & confirmato, cum recitat Officiū Canonicum de S. Thoma, dicit de eius doctrina: *Celsa, clara, firma sententia: at firma non esset, si vera non esset. Et iterum. Scripta eius, & multitudine, & varietate, & facilitate explicandi res difficiles, ac securitate in primis integerrimæ doctrinæ, aded excellunt, vt ob eam causam etiam nomen Doctoris Angelici iure sit adeptus:* At quomodo potest esse in primis sacra, & integerrima doctrina, nisi esset vera. Et tota Ecclesia in oratione S. Thomæ precatur Deum: *Vt det nobis, quæ docuit, intellectu conspici:* quod non ita faceret nisi sentiret vera esse, quæ docuit S. Thomas.

Ioann.
XXII.

Insuper Ioannes XXII. in Bulla Canonizationis S. Thomæ asserit primū. *Verissimè impletum fuisse in S. Thoma illud Psal. 103. rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra: & postea dicit, omnia opera sua, tam Philosophica, quam Theologica, perfecisse in laudem Dei, in fidei dilationem, & in studentium utilitatem.* At quomodo hæc potuissent dici à Summo Pontifice, nisi intellexisset totam doctrinam S. Thomæ esse veram? Clemens etiam VI. in Bulla de Indulgentijs pro festo S. Thomæ sic ait. *Ex cuius sapientia scriptis, vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructum colligens, ipsius fructus odore incessanter rescitur:* at quomodo doctrina S. Thomæ, tam fructuosa, & refectiua esset Ecclesiæ, nisi esset vera! Deniq; tota doctrina S. Tho. est infusa à Deo, vt ostensum est dubio præterito: at impiū esset dicere, Deū infundere doctrinam falsam, cum ipse sit per essentiam veritas, & proinde nequies falli, aut fallere: ergo tota doctrina S. Tho. est vera.

Clemens
VI.

Sed dicunt aduersarij, eam esse verā maiori ex parte, & quoad plures assertiones suas; non verò omni ex parte, & quantum ad sin-

gulas propositiones. Solutio quidem voluntaria. Quia citata testimonia Pontificum, & Ecclesiæ, loquuntur absolute, & sine vlla limitatione, quam vtique expresse adhibuissent, si in doctrina S. Thomæ vidissent aliqua non vera. Et quia non licet nobis, si discipuli volumus esse Ecclesiæ Romanæ, sentire, & loqui, nisi vt ipsa sentit, & loquitur; proinde tenere debemus, totam doctrinam S. Thomæ, quoad singulas assertiones suas, tam Theologicas, quam Philosophicas esse veras. An nõ Deus ita facere potuit? Ex alia parte Summi Pontifices, & Ecclesiasticum officium absolute testantur, eam esse veram, nec faciunt vllam exceptionem propositionum: ergo debemus sentire, & asserere, totam doctrinam S. Thomæ quoad omnes, & singulas eius sententias, tam Theologicas, quam Philosophicas, esse veram: si cupimus cum humilitate procedere & doctrinam Sedis Apostolicæ sectari, tanquam veri discipuli eius.

Cum autem dico, doctrinam sancti Thomæ esse veram quoad singulas assertiones suas, nolo comprehendere retractatas ab ipso. Nã ideò ipse retractauit eas, quia vidit illas veritati dissonas; & ideò retractando illas, & constituendo contrarias assertiones, processit tanquam Doctor veridicus. Quamobrem tota eius doctrina quoad omnes, & singulas assertiones, in quibus permansit, est tenenda tanquam verissima. Cum Ecclesia absolute testetur nobis eam esse veram, & aliunde non constet nobis euidenter, illam esse falsam in vllis propositionibus.

Opponunt aduersarij, quòd sæpè S. Tho. in sua doctrina, tam Theologica, quam Philosophica, ponit propositiones tanquam probabiles, & opinatiuas, quæ proinde possunt esse falsæ: ergo nequit dici, quòd tota doctrina S. Thomæ quoad singulas assertiones suas sit vera. Respondeo, quòd S. Tho. singulas quæstiones, & articulos resoluit sic: *Respondeo dicendū, quasi certus de assertionem suam.* Quare singulas assertiones suas in Theologia factas certò cognouit veras, quia per diuinam infusionem cognouit illas, vt dictū est, quauis nobis incertæ appareant, quia Theologiā vt ille infusam non habemus. Assertionem quoq; in Philosophia constitutas, etiā singulas, cognouit euidenter esse veras, quia per Philosophiā infusam nouit eas, vt Dubio præterito manet dictū: tametsi nobis videantur tantū probabiles, & incertæ, ob defectū Philosophiæ infusæ. Et quādo S. Tho. nec euidenter, nec certò cognouisset tales assertiones esse veras, sed probabiles tantū, & incertas, nihilominus deberemus sentire eas esse veras, & S. Tho. etiam opinando attigisse veritatem in singulis suis assertionibus. Cū absolute, & sine vlla limitatione dicat Ecclesia, doctrinam S. Tho. esse veram, & nemini docto hætenus constet euidenter, aut certò, eam esse falsam in aliquibus assertionibus.

DV-